Morborum puerilium epitome / auctore Gulielmo Heberden.

Contributors

Heberden, William, 1767-1845. Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

London: Typis S. Hamilton, Shoe-Lane, Fleet-Street, veneunt apud T. Payne, 1804.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/mjhze4es

Provider

Royal College of Physicians


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org





6) 616-053



Digitized by the Internet Archive in 2016

https://archive.org/details/b28521195

13 111

MORBORUM PUERILIUM

EPITOME



GULIELMO HEBERDEN,

REGI REGINÆQUÉ BRITANNIARUM MEDICO EXTRAORDINARIO.

LONDINI:

TYPIS S. HAMILTON, SHOE-LANE, FLEET-STREET,
VENEUNT APUD T. PAYNE, MEWS-GATE.
1804.

ROYAL	COLLEGE OF PHYSICIANS LIBRARY
CLASS	616-053.2
ACCN.	19428
SOURCE	171-0
DATE	

ORDO CAPITUM.

PRÆFATIO Pag. vii	Cap. xxi. De Cutis Duri-
Cap. i. DeVictu Puerorum. 1	tie27
Cap. ii. Quæ Vomitum mo-	Cap. xxii. De Tetano 29
vent 4	Cap. xxiii. De Urinæ Diffi-
Cap. iii. Quæ Alvum sol-	cultate30
vunt 5	Cap. xxiv. De Incontinen-
Cap. iv. Quæ Alvum com-	tia Urinæ30
primunt 7	Cap. xxv. De Hernia. 31
Cap. v. Adversæ Valetudi-	Cap.xxvi. De Hydrocele. 32
nis Signa9	Cap. xxvii. De Hydroce-
Cap. vi. De his qui semiani-	phalo32
mes nati sunt10	Cap. xxviii. De Distentione
Cap. vii. De nigro Colore 10	Membrorum 34
Cap. viii. De Meconio 11	Cap. xxix. De Dentibus. 35
Cap. ix. De Ictero 12	Cap. xxx. De Morbis Ocu-
Cap. x. De Aphthis 13	lorum 36
Cap. xi. De Singultu 15	Cap. xxxi. De Straboni-
Cap. xii. De Stomachi Mor-	bus38
bis16	Cap. xxxii. De Sanguinis
Cap. xiii. De Inflatione. 17	Cursu ex Naribus39
Cap. xiv. De Vigilia 19	Cap. xxxiii. De Sanguinis
Cap. xv. De Lumbricis 19	Cursu ex Naturalibus. 39
Cap. xvi. De Vomitu21	Cap. xxxiv. De Profluvio
Cap. xvii. De Alvo 23	albo 40
Cap. xviii. De Alvo fusa. 23	Cap. xxxv. De Distilla-
Cap. xix. De Ani Prociden-	tione40
tia25	Cap. xxxvi. De Tusse 41
Cap. xx. De Erysipelate	Cap. xxxvii. De Tusse Con-
puerili	vulsiva 49

ORDO CAPITUM.

Cap. xxxviii. De Synanche	Cap. xlix. De Pustulis 60
tracheali 44	Cap. l. De Aurium Exul-
Cap. xxxix. De Angina. 46	ceratione 62
Cap. xl. DeFebre rubra. 47	Cap. li. De his quibus Cu-
Cap. xli. De Morbillis 49	ticula atteritur 63
Cap. xlii. De Variolis 50	Cap. lii. De Pernionibus. 63
Cap. xliii. De Variolis vac-	Cap. liii. De Porrigine 64
cinis53	Cap. liv. De Struma66
Cap. xliv. De Variolis pu-	Cap. lv. De Spina ven-
sillis54	tosa 67
Cap. xlv. De Febre pue-	Cap. lvi. De Coxæ Mor-
rili55	bo
Cap. xlvi. De Febre hec-	Cap. lvii. De Spinæ curva-
tica56	tura 69
Cap. xlvii. De Febre inter-	Cap. lviii. De Rachitide. 70
mittente 58	Cap. lix. De Spina bifida. 71
Cap. xlviii. De Morbo Ve-	Cap. lx. De Labro lepo-
nereo 59	rino

GEORGIO BAKER, BARONETTO,

S. D.

HABES, vir eximie, in manus tibi et tutelam traditum opusculum minutum sane, et exile, in quo nihil fere quod non dictum ab aliis, plurima etiam trita invenies. Tamen res magna in primis, de valetudine, de viribus, de vita puerorum consulere, ut integra sit, et ad usus reipublicæ servetur incolumis. Quam medicinæ partem nescio cur scriptores optimi videntur præteriisse, et quasi infra se positam despexisse: cum ad morbos, qui nondum inveteraverunt, curam nostram efficaciorem fore sperandum est; multoque magis expedit corpus ne fiat infirmum providere, quam ægrotans postea restituere. Itaque nobis propositum est

DEDICATIO.

hanc medendi rationem, quæ in pueris curandis versatur, ab anicularum et indoctorum ineptiis ad severiorem artis disciplinam aliquantum revocare; et non tam nova adjiciendo, quam inutilia recidendo conari illustrare.

Tu vero, vir egregie, nostris fave inceptis; patrisque amantissimus qui fuisti, filium, ut soles, benigne accipe; et sine ut palam glorier Te principem medicorum, Te literarum patronum, nobis quoque amico et præsidio esse. Vale.

PRÆFATIO.

Cum semper optandum est, ut, quantum possumus, causis ipsis morborum occurramus; tum maxime ubi de pueris agitur. Alii luxuria atque intemperantia, anxietate atque desidia, corpus et animum frangunt; unde in morbum incidunt ocyus, et tardius recreantur. Paucis autem absolvitur medicina puerorum;

Munera, non illis epulæ nocuere repôstæ.

Quod si corpus eorum fragile et infirmum assiduam curam postulet; si homo edatur quidem in vitam debilis et rerum omnium inops; at est quædam facultas sui conservatrix naturaliter innata omnibus, quæ, licet afflicta nonnunquam et oppressa, tamen multorum medicamentorum auxilia neque desiderat, nec fert. Proinde naturam ars

imitetur, atque illius vestigiis inhæreat. Solvantur fasciæ, dematur inutilis cibus, ne artuum jactatio et incrementum cohibeatur, neve stomachus gravetur et concoctionem impediat. Quam enim pravitatem membrorum, quam distortionem ex illis natam solemus deplorare? Cruditas etiam quantam partem morborum puerilium una complectitur? Siquidem modo vomitus est, modo alvus fusa, modo inflatio, modo tormina, modo ventris tumor, frequentissimumque est vitium quo cibus acescit. Ad cruditatem quoque nescio an pertineant aphthæ, lumbrici, vigilia, tabes, debilitas, pustulæ, et distentiones membrorum, quibus omnibus pueri maxime opportuni sunt. Cum vero cernimus lac in uberibus matris a Deo esse præparatum, cur non ars nostra primos faciat cibos lacti quam simillimos? Quid enim quispiam profecerit medicamentis conquisitis et compositis, si nova quotidie ingesta materies nova pariat mala? Is demum, ut mihi videtur, sanitati puerorum

PRÆFATIO.

optime prospexerit, non qui nova in diem remedia excogitaverit, sed qui causas morborum in victu vitæque consuetudine requisiverit, et ab earum rerum ratione petierit præsidium. optime prespeciation qui pora in diem remedia excogitaverit, sed qui causas morborum in victu vitaque consuctudine requisiverit, et ab earum rerum ratione petierit presidiam.

partition to the partition of the same and t

PRINTED BY THE PROPERTY OF THE

Married Street, section of the Street, Street,

MORBORUM PUERILIUM

EPITOMES

CAPUT I.

De Victu Puerorum.

Primis vitæ mensibus lacti matris omnia posthabenda sunt. Cum tamen plerumque commodius est, ut ex aliqua saltem parte cibus arte paretur, videndum ne ultra justum modum adhibitus stomachum prægravet, neu materiæ genere, a naturali nimis remoto, intestina in vitium ducat. Sicut vero lac humanum natura fruitur nescio qua inter animalem et oleraceam media, ita reliquus cibus humidus et tenuis et generis utriusque particeps esse debet. Et, ne quid minus bene conveniat, in hoc quoque aliquid sæpe mutare expediet. Nec, quo-

ties somnus interruptus sit, pane madefacto, ut fit, stomachus vi statim replendus est; verum exercitatione leni producendæ vires crescentes, et inter opportunam abstinentiam cibo opportuno corpus nutriendum. Itaque cornu bovinum, vel, quod elegantius est, ampullam vitream perforatam membranaque tectam, et alia artificia non sine ratione homines invenerunt, ut quemadmodum lac ex uberibus, ita ex his cibum sugendo puer attrahat, neque plus assumat quam velit. Nam ut sæpe cibo utendum, sic exiguo est.

Principio satis est lac vaccinum, vel, quod cum humano propius convenit, asininum, nullo pane adjecto; tum panis aqua fervente paulisper mollitus, dein cum lacte contritus; item lac aqua mixtum in qua hordeum, avena, aut oryza decocta est. Vicissim sumi possunt modo hæc, modo jus in quo hordeum vel oryza, vel panis aliquid cum carne coctum est. Circa sextum mensem convenient his valentiora, sicut quæ nos

"puddings" vocamus. Octavo mense carnis quoque exiguum cibo adjiciendum est.

Quædam porro stricta alvo, quædam soluta magis prosunt. In priore casu danda sunt serum lactis, decoctum avenæ, uvæ, poma cocta, atque alii fructus, aut recentes, aut conditi. Contra, si profluat corpus, utiliora sunt lac vaccinum, oryza, et potius farina quam panis.

Lacte materno commode nutritur puer integrum annum. Saltem ne cui matri grave sit per quatuor menses infantem lactare, nisi aut lac deficiat, aut macies et cibi fastidium oriantur, aut vires minui cœperint. Aliquid tamen puerorum valetudini concedendum est; robustosque, quam teneros ac imbecillos, licet maturius removere.

Potui aptissima sunt lac aqua mixtum, vel aqua pura, vel in qua hordeum, aliave lenis materia decocta est. Post etiam vinum nostrum hordeaceum tenue.

Omnes pueri habitare conclavi lucido et

spatioso debent, ubi cuncta quam nitidissima sunt.

Vigilet puer interdiu; nocte dormiat.

Exercitatio frequens sit; quæ jucunda pariter ac salutaris erit.

Vestes solutæ sint, et sæpe mutentur, tum præcipue quoties madent; simul corpus manu leniter perfricetur.

CAPUT II.

Quæ Vomitum movent in Pueris.

Vomitum movent radicis Ipecacuanhæ a granis tribus ad grana sex: vel Vini Ipecacuanhæ a guttis quindecim ad guttas quadraginta, aut amplius: vel Vini Antimonii tantundem. Item medicamentum, quod habet aquæ distillatæ uncias quatuor, Antimonii Tartarisati grana duo; hujus dandæ sunt drachmæ duæ singulis horæ quadrantibus donec vomitus excitatus sit. Aliud

ejusdem generis habet Antimonii Tartarisati grana duo, Testarum Ostreorum præparatarum drachmam dimidiam; cujus sumuntur grana duo, aut plura. Præterea quidam penna guttur solicitant.

CAPUT III.

Quæ Alvum solvunt.

Primis vitæ mensibus danda est Olei Ricini drachma; vel Rhabarbari contriti grana tria, cujus etiam vim acuit tertia pars Jalapii. Conveniunt quoque aquæ, in qua avena decocta est, unciæ quatuor in alvum infusæ.

Cum vero ab omni medicamento pueri abhorrent, paulo grandioribus ea laudanda sunt, quorum modus minimus est, et gustus maxime tolerabilis: veluti quod habet Sacchari scrupulum dimidium, Jalapii grana quatuor; vel Jalapii grana quatuor, Calome-

lanos granum unum; vel Pulveris Scammonii cum Calomelane grana octo. Quædam
quoque non injucunda sunt; ut Electuarium Sennæ; vel aqua in qua Pruna Gallica cum Senna decocta sunt*; illius drachma dimidia, hujus adhibetur sescuncia et
simul pruna quatuor.

Alia hujus generis sunt Infusi Sennæ drachmæ sex quibus adjectæ sunt Tincturæ Sennæ drachmæ binæ; vel Infusi Sennæ uncia cum Rhabarbari granis octo; item Natri Tartarisati drachmæ tres; aut Mannæ semuncia cum vel sine salis alicujus medicinalis parte dimidia; aut Magnesiæ albæ scrupulus cum Jalapii contriti granis quinque†.

^{*} R. Prunorum Gallicorum selibram,
Foliorum Sennæ linteo inclusorum semunciam,
Aquæ libram;

Decoque ad selibram, tum Sennam exime.

[†] Cum ad morbos puerorum valentissimum auxilium esse consuevit in his quæ alvum movent, utile fore putavi quorundam remediorum facultates, usu mihi cognitas, tabula sequente diligentius exponere; in qua

CAPUT IV.

Quæ Alvum comprimunt.

ALVUM puerorum comprimere fere periculosum est, nisi præmissis quæ eam leniter solvant. Deinde utilia sunt Testarum Os-

numeri Romani ostendunt quot quisque annos natus sit, numeri vero Arabici quoties alvus dejecerit.

ÆTATIS RATIO.	Primo semianno.	Secundo semianno.	Anno secundo. III.	Anno tertio. IIIII.	Anno quarto.	Anno quinto.	Anno sexto.	Ab anno sexto ad nonum. VIVIII.	Ab octavo ad undecimum. VIII-X.
Olei Ricini 3 j		2,1	3 3 1 3	16.30	11.89	1500	773	City	9 .
Rhei gr. iij Jalap. gr. j	3	3,2				F			
Jalapii gr. iv			3,1,1,4	0	1,1	did !	101	Callin .	
Jalap. gr. iv Calomel. gr. j				3	3				
Rh.g. vj P. Scam. c.Cal.g.iv	1919			3	173	3	116		
Pulv. Scam. c. Cal. 3 ss .	1			-	and the	17	3		3
Rhei gr. viij Cal. gr. j			12.45			2	2,2	A KEEP	4,1
Rhabarbari gr. x							2,3	2	
Natri Tartarisati 3ij		71-11	AL DE		1	P and	0,1	144	
Natri Tartarisati Ziij		The same	inn.		1 26 5	1	2,3	3	
Natri Vitriolati Ziij	14	***	25.95.7					3 77	5,3
Magnesiæ Vitriolatæ 3 iij		1	- Cine	1	130			5	
Mannæ Kali Tart. ā 3 ij			mire min	1			2		
Inf. Sen. 3 vi Tr. Sen. 3ij		Hair	1134	birth	2	3	2,3,2	2,3,2	- 1
Mannæ Zj	100			3	14 19		TV		
Magnes. Ass Jalap. gr. vj		1	Telles !		2	1,1			
Dec. Prun. c. Sen. 3 jss					3,2	3,1	2		
Electuarii Sennæ 3 ss	2.35	MIN	2,2,1			TO COME		1	
Pulv. Sennæ comp. 9ss			3			2	2,1		
Inf. Sen. 3 j Rhei gr. viij		1,43	1114	172		Sec.	1918	3,3	

treorum præparatarum grana sex septemve, adjectis Cinnamomi, vel Nucis Moschatæ, granis duobus: item medicamentum quod habet Misturæ Cretaceæ sescunciam, Confectionis Aromaticæ scrupulum, Tincturæ Opii guttas duas; vel in quo sunt Aquæ unciæ duæ, Extracti Hæmatoxyli drachma dimidia, Tinturæ Opii guttæ duæ; horum utriusvis drachmæ duæ ter quaterve in die sumendæ sunt. Aliud hæc habet; Balaustinorum, Florum Rosæ rubræ, Corticis Granati, Cinnamomi, singulorum drachmam, quæ ex aquæ libra lactisque selibra ad dimidiam partem decoquenda sunt, tum adjicienda Sacchari semuncia, isque humor potui dandus. Prosunt quoque Pulveris Cretæ compositi a granis quinque ad decem ter die; item Catechu contriti grana quinque ex Conserva Rosæ rubræ; vel Extracti Hæmatoxyli scrupulus dimidius ex lactis cochleari. Alii adhibent Vini Ipecacuanhæ guttas duas sexta quaque hora. Denique infundendum in alvum jus aliquod pingue;

aut Mucilaginis Amyli unciæ duæ, quibus instillatæ sunt Tincturæ Opii guttæ sex.

CAPUT V.

Quæ sunt adversæ Valetudinis Signa.

Cum infantes aut non omnino, aut imperfecte admodum possint affectus suos describere, oportet monstrare quibus maxime signis adversa eorum valetudo cognoscatur. Hæc sunt, vigilia; jactatio; vagitus; nausea, aut vomitus; alvus liquida, viridisque, aut mucosa; fastidium cibi; lingua sicca, aut sordida; distentiones membrorum; crurum contractio; corpus extenuatum, aut laxatum; cutis arida, calidaque; pustulæ; singultus; expergefactiones subitæ; clamores; venter durus et intentus; spirandi difficultas; arteriarum in collo motus vehementior.

CAPUT VI.

De his qui semianimes nati sunt.

Interdum pueri semianimes nati sunt, tamen cura servari possunt. Ad hoc juvat tepida quælibet in alvum infundere, corpus excitare, fricare vel manu sicca, vel Spiritu vini tenuiore, denique ore ad os pueri admoto pulmonem inflare.

Eadem remedia convenient, ubi puer ex causa quacunque intermortuus jaceat.

CAPUT VII.

De Colore nigro.

In quibusdam nascentibus fit color niger, aut lividus, in facie, et pectore, cum labris purpureis, et spirandi difficultate: quæ nisi brevi recedant, in mortem plerumque citam desinunt. Hæc oriri crediderim vel ex vitio

cordis, vel ex male perfectis iis vasorum mutationibus, quæ necessariæ sunt omnibus qui auram communem hauriunt.

CAPUT VIII.

De Meconio.

Per duos tresve primos vitæ dies alvus reddere solet nescio quid nigrum viscidumque, meconium vocant, quod in intestino magno conclusum fuerat. Hoc in corpore retineri non debet; quapropter lac primum omnium animantium ventrem solvendi facultatem habere videtur. Idem efficiunt medicamenta. Itaque horis a natu duabus, si nihil dejectum fuerit, dare conveniet Olei Ricini drachmam, vel Rhabarbari contriti grana tria quatuorve. Quidam subinde adhibent Olei Amygdalæ, et Syrupi, singulorum drachmam dimidiam; vel drachmam medicamenti quod habet Mannæ semun-

ciam, aquæ uncias duas. Interdum remedia valentiora necessaria sunt, et bene feruntur: sicut Infusi Sennæ drachmæ duæ; vel Jalapii in pulverem triti grana tria. Horum aliquod interpositis spatiis dandum est, donec alvus copiose dejecerit. Sæpe eam utiliter ducunt aquæ tepidæ lacte mistæ, vel in qua avena decocta est, unciæ quatuor ex inferioribus partibus infusæ.

CAPUT IX.

De Ictero.

Consultus puerorum morbus Icterus est; quem detegit color luteus. Plerumque facile solvitur dato Rhabarbari, quantum alvum leniter moveat, tertio vel quarto quoque die. Interdum utilis est vomitus; cujus causa adhibendæ sunt Vini Antimonii guttæ quindecim, vel Ipecacuanhæ in pulverem tritæ grana tria. Denique prosunt florum

Chamæmeli grana quinque cum Rhabarbari granis duobus, vel alia hujusmodi, semel aut bis quotidie per aliquot dies sumenda.

CAPUT X.

De Aphthis.

APHTHÆ dicuntur ulcuscula alba, quæ in lingua aut genis interioribus nascuntur, serpuntque in quibusdam cito, donec os universum tanquam velamento contexerint. Simul anus sæpe rubet, ab acri humore, ut visum est, per eam transeunte. In graviore morbo color ex candido in lividiorem mutatur. Ubi mitis est, et post paucos dies non augetur, solet quidem diutius permanere, tamen nullum affert periculum. Quod vero molestum est, papillæ nutricis ab hac causa sæpe acute dolent. Febris raro accedit.

Aphthæ apud Gallos, tum præsertim in hospitiis eorum publicis, videntur et frequentior, et multo gravior morbus esse, quam in Anglia.

Juvat primum Rhabarbari, aut Magnesiæ albæ, quantum ventrem leniter solvat: deinde Creta præparata, aut Testæ piscium, et cum his Chamæmelum. Quidam etiam mutant aliquid in victu nutricis. Utique ipsi puero victus ratio diligenter servari debet.

Medicamenta ulcusculis ipsis accommodata sunt Mellis partes octo, Boracis pars nona; vel Conservæ Rosæ rubræ partes octo, Aluminis pars nona; aut Mel acetatum; aut Mel Rosæ, sive per se, seu cujus singulis unciis instillatæ sunt Acidi Vitriolici diluti guttæ decem; denique aqua in qua semen Cydonii mali decoctum est.

CAPUT XI.

De Singultu.

Verisimile est singultum infantum a levi quodam acore aut ardore stomachi sæpe oriri. Tunc proderit pulvis compositus ex Cretæ præparatæ scrupulo dimidio, Rhabarbari granis tribus. Quod si nervorum sensus nimis acutus morbum effecisse videatur, convenient guttæ aliquot vel Spiritus Ammoniæ compositi, vel Tincturæ Opii Camphoratæ. Interdum quoque aceti aliquid per se haustum vicem remedii implevit. Ad idem sæpe convenit ungere ventriculum Linimento Saponis, sive per se, seu adjecta Tincturæ Opii parte quarta; vel super eum imponere Emplastrum Cantharidis.

CAPUT XII.

De Stomachi Acore et Cruditate.

Ex stomachi acore et cruditate plorare assidue et jactari infantes solent; tum ructus acidus fit, vomitus, singultus, alvus viridia reddit, crura contrahuntur. Sæpe fortasse a cibis vel nimiis, vel inutilibus, affectus nascitur.

Primum omnium alvum movere oportet; quem ad finem præcipue utilis est Rhabarbarus. Postea bis die adhibenda sunt quæ habent Testarum Ostreorum præparatarum, Magnesiæve albæ, grana septem, Florum Chamæmeli, aut radicis Colombæ, grana tria; vel Aquæ Kali guttæ decem ex potione amara bibendæ sunt. Hæc, et similia remedia aliquid facient contra stomachi mala. Cum tamen ex victu minus idoneo sæpe videntur oriri, ab ejus quoque ratione præsidium petendum est. Modo juvat ciborum diminutio; modo plusculum sumere

carnis, de pane et farre aliquid demere. Nec vero omnibus eadem convenient. Quid in quoque casu erratum sit, investigare, et corrigere oportebit; ut, quod vel corporis, vel loci, vel consuetudinis ratio detrahit, cura restituat. Interea exercitatio, et fricationes ne prætermittantur.

idis supone CAPUT XIII.

te plus assum maintenance mooquat; sed

De Inflatione.

Mulieres, quibus alendi infantes committuntur, multa quidem loquuntur de inflatione. Ad hanc unam vagitum, singultum, vigiliamque, vomitumque pariter referunt. Hoc tamen impune; nisi mos quoque esset ad affectum pene anilem medicamenta periculo plena adhibere. Quippe qui Aqua Menthæ Piperitidis, aut Spiritu Vini meraciore hanc student depellere, verendum est ne ægrum, quam morbum, prius

extinguant. Nec tamen hæc ita accipi velim, tanquam qui inflationem nullam omnino pueris molestiam exhibere crediderim, aut, si exhibuerit, nulla remedia postulare. In multis ea fieri potest ex mala victus consuetudine; interdum ex aliis causis: nam concoctio puerorum debilis est, et facile evertitur. Ante omnia igitur videndum est, ne plus assumat æger, quam concoquat; sed potius exiguum cibum sæpius in die, quam uno tempore pleniorem. Tum quoque cibi genus facile esse oportet, aut quædam in eo mutari. Præter hæc, sæpe conveniunt pulveris alicujus amari et aromatici grana pauca semel aut bis quotidie sumpta, et simul Rhabarbari quantum ventrem emolliat.

est ne meruno, outant chortuna on ten

CAPUT XIV.

De Vigilia.

PROPTER vigiliam interdum expedit leniter alvum movere. Sed ante omnia prodest frequens exercitatio interdiu, et sub dio versari.

CAPUT XV.

De Lumbricis.

Plura lumbricorum genera humanum corpus infestant. In aliis regionibus vulgares sunt, in aliis rariores; et fieri potest ut cœli quædam tempestates ad eos gignendos sint aptiores. Horum maximus tænia vocatur, ex pluribus exiguis constans, qui singuli ad figuram seminis cucurbitæ accedunt, juncti tæniam referunt, unde nomen impositum est: apud Helvetios et Belgas, frequentius quam apud nos nascitur. Alte-

rum medici teretem appellant, vermibus terrestribus simillimum. Brevissimi omnium ascarides sunt, tanquam fila tenuia.

Quamlibet speciem eadem ferme signa sequuntur. Hæc sunt, spiritus odor fædus; narium atque ani pruritus, qui vespere augetur; ciborum cupiditas modo nimia, modo nulla; dolores capitis, et stomachi; tormina, et tumor ventris; vomitus; dejectiones alvi mucosæ; febricula; sitis; vertigo; dentium stridor; somnus interruptus; tussicula; et distentiones membrorum.

Quæ cum omnia lumbricis accedere consueverunt; tamen interdum hæc fieri vidimus, ubi nulli erant lumbrici; interdum nullis præcedentibus indiciis lumbrici expulsi sunt. Ut igitur de iis conjecturam facere possimus, certi esse non possumus donec in stercoribus fuerint manifesti.

Utile est alvum solvere per Infusum Sennæ, vel Rhabarbarum, vel Jalapium, quibus plerique adjiciunt aliquid Calomelanos. Hæc interpositis spatiis pro ratione virium adhibenda sunt. Interdum prosunt quæ in alvum infunduntur, tum præcipue ubi lumbrici imis partibus intestinorum inhæreant, qui mos est ascaridum. Concoctio servanda est per cibos convenientes, et remedia quæ stomacho subveniant: tum curioso victu cavere oportet ne inutilis materia corpori supersit: nam ubi pabulum est idoneum, eò semina herbarum, eò animantium ova protinus feruntur.

CAPUT XVI.

De Vomitu.

Vomitus sæpe aliis morbis accedit; interdum ipse per se morbus est. Porro vel crudus, vel coctus est. Ubi id, quod sumtum est, crudum et inconfectum redditur, causam esse ciborum abundantiam nimiam credibile est, et modo temperantiam pro remedio requiri. Ad vomitum coctum sæpe

prodest victus consuetudinem mutare; vel medicamento leniter alvum solvere; item vomere, et deinde bibere aquam quæ Menthæ sativæ superinfusa est, aut potionem ex Kali et succo Limonis, cui licet adjicere guttam unam, aut minus*, Tincturæ Opii. Alios juvant Testæ Ostreorum præparatæ, aut aqua in qua Cinchona decocta est bis die sumta: et modo utile est balneum, modo Linimentum, modo Emplastrum Cantharidis, aut aliud, super ventriculum impositum.

Pervulgatum est illud, Vomitum infantum esse roboris indicium; quod inde ortum esse puto, quia stomachus sanus fortius excitatur, et quicquid supervacuum et inutile receperit, sursum aut deorsum reddit: contra, qui debiles sunt, ipso defectu virium retinent quod ingestum est, et ægrotant, cum se expedire et liberare non valeant.

^{*} Quo minimus modus Tincturæ Opii, aliusve humoris, adhibeatur, instillandæ sunt guttæ paucæ in aquam, tum hujus sumendum quantum opus est.

CAPUT XVII.

De Alvo.

ALVUS astricta cum non expetenda est, ita nec nimium pertimescenda. Nam liquida imbecillum, dura robustum corpus potius significat. Tamen in his modus est servandus; et si cui infanti per horas sex et triginta venter non descenderit, medicamento moveri debet.

CAPUT XVIII.

De Alvo fusa.

ALVUS fusa cum ab aliis causis, tum quoque a cibis aut nimiis, aut minus idoneis, ut mihi videtur, sæpe oritur. Itaque in his eligendis cautio adhibenda est. Cumque sine medicamentis morbus per se sæpe consistat, plerumque optimum est in unum

saltem diem conquiescere priusquam ad medicinam confugitur. Autumnus his malis maxime opportunus est. Interdum loci mutatio alvum fusiorem fecisse visa est; alias nimis fusam firmasse. Nonnullis utilis est vomitus; omnibus fere Rhabarbari quantum alvum moveat, et deinde Creta, vel Testæ Ostreorum præparatæ, et aromata, et amara, et quæ ventrem astringunt. In multis etiam Rhabarbarum iterum iterumque interpositis spatiis adhibere necessarium est; siquidem dejectiones non modo liquidæ sunt, et justo frequentiores simul vero mucosæ, aut cruentæ, aut alio modo malæ: quod ubi est, altero, vel quarto quoque die alvum movere oportebit, et interea dare quæ eam comprimere, et confirmare, viresque reficere valeant. Cibis quoque utendum est his, qui corpus alere, et ventrem astringere consueverunt; cujus generis sunt oryza, aut farina tritici ex lacte cocta; vel aqua in qua cornu cervi, aut ichthyocolla decocta est, cui deinde sacchari aliquid et exiguum vini adjicitur. Interdum commota intestina utiliter leniunt glutinosa, ut Pulvis Tragacanthæ compositus, vel sevum in lacte incoctum donec tabuerit. Quædam etiam in alvum infunduntur, ut jus pingue, vel Mucilago Amyli, et cum his Tincturæ Opii guttæ sex. Dummodo consistant vires et cibi cupiditas, alvus fusa periculo vacat. Cutis astricta, dum alvus argillacea excernit, pestifera est.

CAPUT XIX.

De Ani Procidentia.

Nonnunquam anus procidit: quod fieri consuevit vel ex alvo fusa, vel ex calculo vesicæ, vel ex morbo intestini. His itaque restitutis, illud finietur. In aliis debilitas sola hunc morbum videtur effecisse: tunc juvant quæ vel corpus universum, vel istas partes roborant, ut cortex Angusturæ, vel

Cinchona, et lavatio frigida. Reposito intestino admovendum est fomentum aquæ in cujus libra decocta est corticis Quercus uncia.

Minus facile descendit intestinum quibus provisum fuerit sedile adeo excelsum, ut terram ne contingant pedes inter dejiciendum.

CAPUT XX.

De Erysipelate Puerili.

Morbus de genere erysipelatis quosdam infantes primo mense corripit, maxime qui in ædibus publicis nascuntur. Mitissima ejus species modo in digitis et manibus, modo in pedibus aut talis, interdum prope articulos fit, ubi mox subsequitur ulceratio. Gravior species a pube solet incipere, unde per abdomen et femora serpit. In paucis collum principio invadit. Ubicunque est, cutis fit livida et dura; tumor haud magnus

est, sed partes morbo occupatæ ad gangrænam spectant, præcipue scrotum, et simul tumet coles. Sæpe intra paucos dies occidit. Venter patefactus ostendit intestina humore concreto contecta, et inter se glutinata.

Idonea est Cinchona quantocyus per os sumta, aut in alvum infusa, cui licet adjicere vel Confectionem aromaticam, vel guttam unam aut alteram Tincturæ Opii. Porro ipsa loca fovenda sunt aqua in qua Chamæmelum decoctum est, vel Spiritu Camphorato.

CAPUT XXI.

De Cutis Duritie*.

Gravis imprimis, et cum superiori quodammodo conjunctus, is morbus est, cui

^{*} Vide Hist. Soc. R. Medicinæ, Parisiis 1784.

nomen dedit apud quosdam membranæ cellularis durities. Raro nisi in hospitii publici turba nascitur; frequentius etiam in continente, quam apud nos. Cutis fit intenta et dura, et subjectis carnibus quasi affixa, præcipue in genis, artubus, et pube. Tum color sæpe luteus est, tanquam ceræ; alias ruber, aut lividus. Frigus est præter consuetudinem; vox etiam tenuis et flebilis. Plures eodem tempore corripi solent, maxime qui alvum habuerint infirmam. Quibusdam nervi in artubus tenduntur, aut rigescit maxilla sic, ut nihil devorare possint. Prima natali hora interdum invadit; et quos occupaverit, paucis fere diebus occidit. Inciso corpore, omnia turgida visa sunt, et membrana cellularis duro adipe referta.

Usus nihil fere nos docuit de hujus tam acerbi affectus curatione. Tentari potest quid loci mutatio, quid fricatio assidua, quid balneum, quid alvi ductio valeat.

CAPUT XXII.

De Tetano.

Tetanus in pueris recens natis rarissimus in Anglia, quibusdam in regionibus haud insuetus morbus est. Inter sextum et nonum diem repente incidit, et quos corripit interficit.

Hunc morbum Barcelonæ vulgarem descripsit Hyacinthus Andreas; eundem in Minorca, Cleghorn; in insulis Americanis, aliisque regionibus calidis, Hillary; in Scotiæ insula, quam Sanctam Kildam vocant, Macaulay; in America Septentrionali, Rush.

Si quis aliquando medicinæ locus erit, censeo balneum, fricationem, medicamenta in alvum infusa, et exulcerantia esse tentanda.

Emplastium Cantharidis super lumbos im-

positum: sape nihil omnine medicina pro-

CAPUT XXIII.

De Urinæ Difficultate.

Contra difficultatem urinæ prosunt balneum, fricatio ventris, et quæ alvum leniter movent; item aquæ lactisque singulorum par mensura in alvum infusa.

CAPUT XXIV.

De Incontinentia Urina.

Morbus priori contrarius est incontinentia urinæ; quæ pueros puellasque infirmiores tenera ætate sæpe infestat. Noctu præcipue molesta esse consuevit. Et quosdam in annos plures occupat; sæpius, ubiætas paulum processit, subsistit.

Interdum juvat lavatio frigida, interdum Emplastrum Cantharidis super lumbos impositum: sæpe nihil omnino medicina proficit. Utile est unguentum quodvis lene vicinis partibus admovere ne cuticula madefacta atteratur.

CAPUT XXV.

De Hernia.

Consuetum est infantibus umbilicum prominere. Interdum intestinum vehementius prolabitur, et fascia coerceri debet, donec inter se tunicæ glutinentur.

Ad eam herniæ speciem quæ in inguine fit, principio remedia nulla admovenda esse censeo. Quidam tamen in frigidam descendere præcipiunt. Exacto secundo anno, nec ante, fascia fortis conveniet.

custing agrees care suppristing sunt. A litera

CAPUT XXVI.

ficit. Utile vet unguentum quodvis lene

De Hydrocele.

Pueri a prima usque infantia hydrocele sunt obnoxii. Verum sua sponte aqua plerumque recedit, et raro redit. Satis est scrotum subinde madefacere aqua frigida vel pura, vel in qua sal ammoniacus dissolutus est. Interdum tamen id incidere necessarium est.

CAPUT XXVII.

De Hydrocephalo.

Hydrocephalus interdum in ipso utero gignitur; quod ubi fit, cerebrum sæpe ita extenuatur, ut membranam diceres; simul ossa cranii nondum compacta in magnitudinem enormem distenduntur. Sic affecti quatuor annos raro superstites sunt. Altera

hujus morbi species a secundo fere anno ad decimum nascitur, et minus facile cognoscitur. In utraque humor in ventriculis cerebri hæret. Interdum ab ictu profecisse visus est; sæpius ex nulla manifesta causa ortus est. Vidi puerum decennem hoc morbo interemptum, qui affirmabat duos sibi fratres et duas sorores eodem ante periisse. In altera familia sex ordine pueros biennes illi succubuisse accepimus *.

Illius speciei, quæ serius nascitur, hæc signa sunt; febricula, dolores capitis repentini, nausea, hebetudo, impatientia lucis, delirium, dilatatio pupillarum, genarum rubor, et modo veternus, modo distentiones membrorum, denique intra mensem mors.

Adversus hydrocephalum nulla certa remedia inventa sunt. Plerique medici hydrargyrum adhibent sic, ut salivam moveat. Hoc præstat vel unguentum, vel

^{*} Underwood on Diseases of Infants.

Calomelanos grana duo singulis noctibus sumpta. Data sunt etiam quæ vomere faciunt, et quæ alvum solvunt. In multis quoque exulceratio prope caput servata fuit. Sed omnia fere spem nostram frustrantur.

CAPUT XXVIII.

morbo interemptum, oui effirmabut duos

De Distentione Membrorum.

Consuetæ sunt infantibus distentiones membrorum. Quæ cum sæpe omni periculo vacent, interdum tamen affectibus gravissimis accedunt, nec nisi cum vita ipsa finiuntur. Eas non raro inferunt lumbrici, dentes, cruditas, et quicquid nervos vehementius irritat. Quidam ipsis primis vitæ horis convelluntur; præcipue qui præmature nati sunt, aut in quibus igniculus vitalis quamcunque ob causam parum viget. Per-

iculum subest ubi brevia inter accessiones spatia sunt.

Lac tepefactum, aut oleum, in alvum infundere oportet, aut aliquid dare ex iis rebus quæ eam leniter movent. Conveniunt quoque balnea, exulcerantia, et fricationes. Interdum utilis est Mistura Camphorata; vel Olei Succini rectificati, Oleive Animalis, guttæ binæ; vel Tincturæ Opii Camphoratæ guttæ sex. Horum quodlibet quarta quaque hora sumendum est.

CAPUT XXIX.

De Dentibus.

Primi dentes omnes fere nascuntur a sexto ad vicesimum mensem. Simul signa quædam, nunc leviora, nunc graviora, solent accedere. Hæc sunt, salivæ cursus, gingivarum tumor et inflammatio, genarum rubor, alvus fusa, vigilia, somnus perturbatus,

digitorum ad os admotio, clamores subiti, distentiones membrorum, et febris.

Utilis est cibus tenuis, et quam minime calefaciens; item medicamenta quæ alvum leniter moveant. Ad hæc quidam scalpello gingivas incidunt.

CAPUT XXX.

phorata; vel Chi Chaminiana Higgli, Oleve

De Morbis Oculorum.

Infantes non raro patiuntur inflammationem oculorum; quæ plerumque nullo negotio recedit. Ubi diutius permanet, alvum solvere oportebit, tum admovere temporibus hirudines, vel cervicibus emplastrum Cantharidis. Sæpe quoque juvat oculo superimponere candidi panis interiorem partem ex lacte subactam et linteo inclusam. Porro quidam bis in die instillant in oculum guttam unam aut alteram Tincturæ Opii. Spatio interposito, neque

enim principio id convenit, venas laxiores utiliter constringit aqua frigida vel pura, vel cujus unciis quatuor adjecta sit Aquæ Lithargyri Acetati compositæ semuncia, aut Cerussæ Acetatæ grana quatuor, aut Zinci vitriolati tantundem. Quod si palpebræ inhærescant, super margines earum unguentum quodvis lene singulis noctibus illini debet.

Rarius vitium est, in quo paucis a natu diebus magnus oritur palpebrarum tumor, unde oculus concluditur, et simul humor purulentus ex tunica cornea subtus distillat. Interdum ipse oculus tabe consumitur. Remedium est, oculum sæpius in die colluere medicamento, quod habet aquæ distillatæ uncias quatuor, Aquæ Aluminis compositæ, vel Aquæ Zinci Vitriolati cum Camphora, drachmam.

Ubi ex inflammatione vehementiore, vel alio oculi affectu, macula alba restat; utilis est aqua, in cujus unciis quatuor liquatum est Hydrargyri muriati granum; hujus guttæ binæ ter quotidie instillandæ sunt. Suffusio, sive Cataracta, in infantibus manu curari non debet.

Ad mydriasin, quam Guttam Serenam nostri vocant, quidam electrificationem, quidam exulcerationem in cervice, quidam Calomelas adhibent: ego nihil profecisse nimium sæpe expertus sum.

CAPUT XXXI.

De Strabonibus.

Ubi quis natus est strabo, id vitium permanere solet. Quod si postea inciderit, sæpe potest tolli. Unicum remedium est, oculum sanum per aliquot dies comprimere.

CAPUT XXXII.

De Sanguinis Cursu ex Naribus.

Sanguis ex naribus puerorum non raro fertur, præcipue infirmiorum, et tempestate calida. Plerumque vel nullum remedium requirit, vel satis est frigidum aliquid dorso admovere, aut manus in frigidam immittere. Si profluvium his vinci nequit, linamentum in nares injiciendum erit. Quod si crebrius revertatur morbus, alvum sale subinde movere conveniet.

CAPUT XXXIII.

De Sanguinis Cursu ex Naturalibus.

Fir aliquando ut primis vitæ diebus e vagina puellarum sanguis distillet, et inani metu terreat. Nam sine ope aliena subsistit, nullo malo subsequente.

CAPUT XXXIV.

De Profluvio albo.

Profluvium album copiosum interdum quinquennes exercet. Utilis est ablutio frequens, et quæ leniter alvum movent; tum quoque in frigidam descendere, et sumere aquam in qua Cinchona decocta est; et conveniunt quæcunque vim corpori addant.

CAPUT XXXV.

De Distillatione.

Distillatio pueris sæpe molesta est, tum præcipue lactantibus. In his enim spiritus, si per nares trahi non potest, fere intercluditur. Igitur purgari istæ debent, deinde Unguento Spermatis ceti, vel alio, intus illini: simul, ubi multus humor distil-

lat, alvum solvere oportebit, aut imponere super dorsum Emplastrum Cantharidis.

oportebite et bibere las asiainun

CAPUT XXXVI.

De Tusse.

Adversus tussim sæpe convenit venam in brachio incidere, maxime ubi accesserit dolor, aut spirandi difficultas. Si per ætatem id fieri non possit, hirudines binæ, aut plures, brachio admovendæ sunt, vel vena in collo ferienda. Oportet simul alvum solvere, atque Emplastrum Cantharidis super dorsum imponere, eo magis si molesta est distillatio in pulmones. Præter hæc, tussim leniunt sorbitiones, et aqua cum qua semen aliquod oleosum contritum est; item Vini Antimonii guttæ quinque adjiciendæ potioni ex Glycyrrhiza; denique Syrupi Papaveris albi guttæ decem sæpius in die, vel drachma hora somni. Alvus quoque tenera servanda est, et omnis valentior cibus removendus. Ubi morbus diutius trahit, locum mutare oportebit, et bibere lac asininum.

CAPUT XXXVII.

De Tusse Convulsiva.

Tussis convulsiva, initio levis, brevi augetur; tum quoque vomitur cibus, aut mucus tenax; quibus hic affectus principio detegitur. Post paulo spiritus vehementia tussis redditus cum sono multo attrahitur; quod proprium morbi indicium est. Febris parum est. Accessiones subito incidunt, subito finiuntur: ubi tempora earum præterierunt, pueri vix omnino ægrotant; licet momento ante pæne strangulati fuissent; nam facies tumet livetque, oculi humore implentur, stomachus inflatione afficitur, et modo ex ore aut naribus sanguis extunditur. Morbus est tædio plenus, sed

raro periculosus præterquam infantibus te-

Omnibus notum est quam facile manet hujus tussis contagium. In quibusdam incepit dies circiter quatuordecim postquam cum ægris una fuerint; in aliis paulo citius. Qui illa semel occupati fuerint, per reliquam vitam plerumque securi sunt.

Ubi multa pituita stomachus laborat, vomere cogere oportet; quem ad finem utilia sunt radicis Ipecacuanhæ grana quinque, vel drachma una aut altera medicamenti, quod habet Aquæ uncias duas, Sacchari scrupulos duos, Antimonii Tartarisati grana duo: in aliis Rhabarbaro, aut Jalapio alvum subinde movere satis est. Cibis potionibusque levibus utendum est; et noctu sæpe conveniunt Tincturæ Opii guttæ binæ, vel Syrupi Papaveris albi drachma; quorum utrilibet adjici possunt Vini Antimonii guttæ quinque. Quidam etiam sæpius in die adhibent Vinum Antimonii, aut Succum Cicutæ spissatum. Alii dorsum pectusque illinunt medicamento in quo est Oleum Succini. Sed maxime omnium juvat ex alio in alium locum transire. Ad hanc tussim raro necessarium est sanguinem detrahere: quod si spiritus ægre trahatur, imponi debet Emplastrum Cantharidis.

CAPUT XXXVIII.

Out illa semel occupati fuerint, per reli-

- De Synanche tracheali, quam nos "Croup" vocamus.

Synanche trachealis, sive "Croup," morbus est acutus et anceps, qui in pueris fere nascitur ante duodecimum annum. His spirandi difficultas est, spiritusque interclusus sibilum argutum elidit, qui morbum detegit: simul arteriarum pulsus concitantur, et in plerisque tussis est; interdum quoque muci aliquid extunditur. Tum in quibusdam pars tracheæ suprema leviter dolet, et tumet.

Sæpe accessiones vehementes interpositis spatiis incidunt, quas ægri metuunt et horrent: quidam etiam, postquam tempora earum præterierunt, in horam unam, aut plures, animam agere videntur. Dubium est, morbus contagiosus sit, necne; an quoque eundem bis occupet; an locis maritimis, aut tempestate humida, frigidave, facilius gignatur. Ante nostram ætatem vix observatus fuerat.

Incisa cadavera ostendunt tracheam inflammatione rubentem, totamque cum bronchiis muco tenace, tanquam membrana, intus obductam.

Sub initio, aut ubi febris vehementior est, potest auxilio esse sanguinis detractio, sive per scalpellum, seu per hirudines pectori admotas: omnibus imponi debet Emplastrum Cantharidis. Vomitus aliquando utilis est, et Scilla, et Antimonium, et Gummi Ammoniacum, aut Asa fœtida, quæ laborantem spiritum expediant; item vapores tepidi faucibus excepti; neque ali-

enæ sunt guttæ aliquot vel Syrupi Papaveris albi, vel Tincturæ Opii Camphoratæ. Jacenti utique necessarium est accessione instante protinus residere, ne impetu morbi stranguletur. Cibus quam maxime tenuis ac lenis esse debet.

CAPUT XXXIX.

De Angina.

Angina ex iis morbis est, quorum contagium in pueros facillime manat: non raro etiam mortifera est. Fauces sub hac dolent, tument, rubent, et exulcerantur; simul febris est acuta, deficiuntque vires, et mens sæpe turbatur. Tum plerisque pectus et brachia, aut corpus universum rubore perfunditur. Ex ore quoque et naribus quorundam acer humor distillat. Quibus si accesserit spirandi difficultas, malum est. Rarissime eundem bis occupat.

In hoc morbo ab omni medicamento, quod vehementius alvum moveat, abstinendum est. Utile est Emplastrum Cantharidis, et quicquid concidentes vires reficiat, sicut Cinchona, vel aqua in qua hæc decocta est, cui adjici potest aliquid Confectionis, vel Tincturæ Aromaticæ. Gargarizandumque est Infuso Rosæ, aut his quæ mel habent et acetum et vinum austerum. Vini quoque aliquid ex cibo aut sorbitione sæpe salutare est.

CAPUT XL.

De Febre rubra.

In febre rubra communia omnium febrium signa sunt; præterea pectus et brachia, vel cutis universa, præter consuetudinem rubent; isque color vel continuatus est, vel in maculas quasdam distinguitur. Ex hoc affectu omnes magnopere languent, aut sæpe delirant; simul plerique de dolore faucium conqueruntur. Tum glandulæ sub auribus, aut alibi, sæpe tument, et interdum suppurant. Morbo finito tota cuticula renovatur. Qui febre rubra semel occupatus fuit, per reliquam vitam securus esse potest.

Hic morbus et angina, si unus idemque non sint, eandem saltem curationem postulant. Itaque adversus hunc quoque utendum est Decocto Cinchonæ, et aromatibus, et vino, et Emplastris Cantharidis; conservandæque vires omnibus modis.

Uterque morbus palam fieri consuevit sexto fere die a quo contractus fuerit.

Gravis imprimis quæstio est, quam cito liceat hos ægros familiæ suæ reddere sine contagii metu. Equidem die quinto a finito rubore quosdam in societatem fratrum, cute prius eluta, rediisse cognovi, qui nihil mali secum attulerunt.

est; vel in maculas quasdum distinguitar,

Ex hoc affects cames inagnonere languent,

CAPUT XLI.

De Morbillis.

Morbillorum hæc signa sunt. Febris, tussis sicca, lachrymatio et imbecillitas oculorum, palpebrarum tumor, sternutamenta. His accedunt, quarto fere die, maculæ parvæ rubræ, primo in facie, postridie in brachiis et reliquo corpore: post alios quatuor dies in furfurem illæ abire consueverunt; et mox omnia mala recedunt. In paucis eo ipso tempore increscunt febris et jactatio; et modo cita mors, modo lenta tabes subsequitur.

Tussis et spirandi difficultas sanguinis missionem quolibet morbi die requirunt. Tum victu, et medicamentis, quantum fieri potest, æstus febrisque mitiganda est. Ad somnum movendum sæpe necessaria est Syrupi Papaveris albi drachma, vel Tincturæ Opii guttæ tres quatuorve. Denique morbo finito alvum solvere oportet.

Hic affectus modo decem, modo quatuordecim dies delitescit in corpore priusquam se prodit.

CAPUT XLII.

De Variolis.

A quo tempore invaluit consuetudo inserendi per inoculationem variolas, in puerorum morbis jure fuerunt numerandæ. Primum igitur dicam quæ ætas illis aptissima sit; deinde quæ sint earum signa consueta; tum quæ ratio medendi conveniat. Cum vero ultra sexagies totidem morbo naturali pereant, quot ab eo qui arte factus est, patet hunc nullo non tempore debere excitari, modo alterius periculum subsit. Qui tamen rure degunt, et propterea variolarum contagio minus obnoxii sunt, expectare possunt donec secundum saltem annum compleverint: sextus contra sine inocula-

tione non prætereundus est. Ad hoc tantummodo opus est ut acus, vel scalpellum pure varioloso imbutum alterutrius brachii cuticulæ quam paulum subjiciatur. Quarto fere post die indurescit vulnusculum, et celeriter amplificatur: nono subsequitur febricula, atque eodem vespere in nonnullis membra convelluntur. Proximo triduo omnes variolæ exeunt; deinde triduo maturescunt, et, ubi plures sunt, febris iterum accenditur: brevi postea exsiccantur, et decidunt. Proh scientiam humanam, et inanes nostras cogitationes! quæ tandem morbo victæ ad barbararum gentium artificium confugiunt. Ergo cum hodie pueri a variolis tam leviter ægrotant, medicamentis multis profecto non egent, neque multa mutare præter consuetudinem debent. Nemini tamen nocebit brevis abstinentia carnis, et leniter alvum movere, præsertim si plenius corpus sit, aut aliquo modo calefactum. Tum ventrem iterum solvere oportebit postquam a facie pustulæ exciderint.

Quod si variolæ crebriores sint, et majorem molestiam pariant, juvabit frequens sorbitio, et simul Syrupi Papaveris albi drachma dimidia, vel Tincturæ Opii guttæ binæ, hora somni, aut etiam interdiu sumendæ. Sæpe quoque instar omnium est perustum febre corpus aëre temperato paulum refrigerare. Reliqua curatio sicut ad alias febres adhibenda est. Scilicet oppressis viribus, et cum morbo quasi luctantibus, subducenda est alvus, vel imponendum Emplastrum Cantharidis: ubi ingens inciderit jactatio, levabunt fatigatum corpus fomenta, aut tepida quædam in alvum infusa, aut denique Opiata: contra deficienti languentique succurrendum est vino, et aromatibus, aut Cinchona.

CAPUT XLIII.

De Variolis vaccinis.

Sub fine sæculi decimi octavi novum variolarum genus publicum factum est, quod quoniam ex vaccarum uberibus principio ortum est, inde nomen accepit. Hic morbus, casu, an consilio corpori insitus, videtur hominem tutum præstare a variolis vulgaribus; licet ab his non incertis notis discernitur: nam neque contagio contrahitur, nec pustulas in reliquo corpore excitat, nec febrem plerumque affert. Pustula fit unica, rotunda, cui sexto fere ab insitione die tenuis humor subest; decimo circulus rubicundus ambit; duodecimo incipit ex his fieri nigra cicatrix.

CAPUT XLIV.

De Variolis pusillis, nos vocamus "Chicken-pox."

Variolæ pusillæ cum febre non magna incidunt. Initio similes sunt variolarum verarum; sed ocyus augentur, ocyus finiuntur: tum magnitudine variæ sunt, rarissime frequentes. Primo die rubent; secundo apices habent aqua plenas; tertio flavescunt, aut sæpe scabendo ruptæ concidunt; quarto, aut postridie, crusta tenui conteguntur.

Variolarum pusillarum contagium manifestum esse consuevit octavo vel nono die a quo contractum fuerit.

Non alienum est a carne vinoque paucos dies abstinere, et simul videre ne quid ægrum vehementius calefaciat. Præter hæc pauca nihil fere necessarium est.

CAPUT XLV.

De Febre puerili.

Febris puerorum lenis initio, incremento tarda, exitu incerta est. Ubi fit, morosiores esse solent, et quidam subinde horrent; labra sicca sunt, manus calidæ, arteriæ concitatæ, spiritus creber; tum nolunt moveri, aut loqui; et modo parum excernit alvus, modo nimium, sæpe mucum aut lumbricum: simul somnus perturbatur, cibusque respuitur: nonnulli delirant, aut stupent; multi ad tempus obmutescunt.

Principio adhibenda sunt quæ alvum penitus purgent; et toto morbi spatio ea tenera servari debet, aut medicamento subinde moveri. Deinde imperari debent quies, et sorbitiones. Postremo, imbecillitati jacentis per Decoctum Cinchonæ, et alia ejusdem generis remedia succurrendum est.

Hæc febris nunquam mihi visa est contagiosa.

CAPUT XLVI.

De Febre hectica.

Februs hectica appellatur, ubi vires sensim pereunt, torpetque illa puerorum tam amabilis hilaritas, totumque corpus lenta tabe consumitur. Hoc fit plerumque ab aliquo intus vitio, cui, si detegi potest, ante omnia erit medendum. Cum vero in obscuro sæpe causa ponitur; aut si non lateat, tamen remedium certum non admittit, satis erit eam materiam, quæ lædere videtur, movendo subinde alvum subtrahere, et simul vires omnibus modis nutrire. Quod siqua pars, ut alvus, aut stomachus, præ cæteris laboret, occurrendum tempestive vehementiori malo.

Plerisque conveniunt grana aliquot Rha-

barbari interpositis tribus aut quatuor diebus sumenda, et interea Decoctum vel Extractum Cinchonæ. Nonnullis profuerit in cibis aliquid mutare; aut ex gravi in salubriorem locum transire; tum quoque, prout vires ferant, modice exercitari.

Ea febris, quæ cum tumore ventris, duritie, aut interdum profluvio alvi, et macie, incidit, sæpe videtur ex glandulis mesenterii inflammatis, aut impeditis, oriri. Hujus quoque curatio eadem est quam exposui; nisi quod astricto corpore paulo liberalior usus esse debet medicamentorum quæ ventrem solvant. Itaque danda est Senna, vel Sal aliquod, vel Rhabarbarum cum Calomelane, quarto quoque die; et diebus mediis bibere oportet aquæ in qua Cinchona decocta est unciam meridie et vespere, vel per se, vel adjectis Natri præparati granis octo.

CAPUT XLVII.

De Febre intermittente.

Pueri non secus ac adulti in febrem intermittentem interdum incidunt, et iisdem remediis sanantur. Igitur accessione instante Ipecacuanhæ grana quinque dare oportebit, et vomere cogere, deinde Cinchonam adhibere. Cum tamen pueri tantum hujus medicamenti non facile assumant, quantum ad morbum depellendum necessarium est, quædam invenienda sunt, quæ illud faciant tolerabilius. Hoc maxime omnium lac præstat. Ex hujus uncia dari potest vel corticis in pulverem triti scrupulus, vel Extracti Cinchonæ tantundem cum pari portione Sacchari. Alii pro lacte utuntur Lacte Amygdalæ; aut adjecto Syrupo faciunt Electuarium. Denique si ex his nullum devorari potest, tunc ab inferioribus partibus infundendæ sunt ter quaterve in die Decocti Cinchonæ unciæ tres, quibus

adjicere licet paulum vel corticis contriti, vel Extracti, et insuper Tincturæ Opii guttas tres, vel quantum opus est ut alvus medicamentum retineat.

CAPUT XLVIII.

De Morbo Venereo.

Mulieres lue venerea implicitæ mortuos fœtus sæpe edunt: quod a morbi ipsius vi fiat, an a remedio ejus, dubitari potest. Ex illis qui vivi nascuntur a parentibus syphiliticis, quidam integra sanitate fruuntur; in aliis ulcuscula os intus infestant, et simul corporis cuticula perit. Nutrices etiam suas tabe ulcerosa inquinant, veneream dixeris, necne, incertum est. Nescio an pueri sanis parentibus orti ab eodem vitio prorsus securi sint. Optimum remedium esse videtur in mare descendere. Quod si quis puer morbo venereo vero tene-

atur, sine mora utendum est Unguento Hydrargyri.

CAPUT XLIX.

De Pustulis.

Plura genera pustularum in pueros incidunt. Sæpe nascuntur maculæ rubræ, sparsæ, quæ faciem, aut pectus, aut corpus universum inæqualiter occupant: interdum supra cutem vicinam aliquantum eminent, aut etiam humore implentur.

In alio genere squamæ sunt, quædam humidiores, quædam sicciores. Hæ frontem præcipue invadunt. Quamvis interdum diutius perseverent, tamen periculi nihil subest, et cicatrix nulla relinquitur.

Interdum pustulæ rubræ in pectore et facie, aut corpore universo nascuntur, et triduum quatriduumve manent, quæ febrem rubram, aut morbillos specie referunt. Cum tamen febris fere nulla accedit, ad hos affectus nullo modo illas pertinere censeo: quæ mihi confirmata sententia est, quia pueros his occupatos vidi, quos antea curaveram febre rubra laborantes.

Alia genera sunt, quæ singula describere supervacuum esset. Omnia alvum requirunt teneram; et, si nausea est, dare oportet aliquid Cretæ, Magnesiæve albæ, et deinde Rhabarbarum. Verum ubi valetudo adversa non est, remediis abstinere utilius esse existimo. Sic laborantibus frigus fere inimicum est. Cibus lenis et facilis esse debet.

Adversus cutis vitia obstinatiora admovendum est extrinsecus Decoctum Hellebori albi, vel Unguentum Calcis Hydrargyri albæ, vel unguentum quod habet Unguenti Hydrargyri nitrati Unguenti Adipis suillæ singulorum par pondus. Intus quoque danda subinde vel Senna, vel Aqua salsa, aliudve medicamentum quod alvum solvat; tum inter hæc Cinchona corpus firmandum.

CAPUT L.

De Aurium Exulceratione.

Consultus puerorum morbus est humor et exulceratio post aures. Huic medicamenta reprimentia non conveniunt. Plerumque satis est ea loca aqua tepida bis terve in die eluere, deinde admovere linte-olum cui ceratum quodvis lene illitum sit.

Quod si morbus ad cervices pervenerit cum dolore, et altius carnibus insederit, utile erit Unguentum Calcis Hydrargyri albæ. Interdum oportet adhibere extrinsecus fomenta, intus medicamentum quod alvum subinde moveat, et interea Extractum Cinchonæ. Interdum Emplastrum Cantharidis in aliam partem humorem avertendo prodest.

CAPUT LI.

De his, quibus Cuticula atteritur.

In infantibus, maxime pinguioribus, et æstate, cuticula sæpe atteritur, qua duplicatur, et urina, aut sudore, aut alia causa madet. Loca ista aqua tepida sæpius in die elui debent, deinde pulvere aliquo molli ex amylo, vel ex argilla usta, seminibusve lycopodii conspergi. Utile est etiam unguentum quodlibet lene illinere.

CAPUT LII.

De Pernionibus.

Perniones hieme nascuntur, et digitos in manibus pedibusve, aut calcem occupant. In his rubor cum inflammatione mediocri est; interdum quoque exulceratio. Dolor autem modicus, prurigo major est. Hæc

cum omnino ex frigore oriantur, ab eo ante omnia defendi debent. Multi eas partes perfricant Spiritu Camphorato, vel Linimento Saponis: alii, rectius puto, quædam imponunt linteo vel corio tenui illita, ut Ceratum Lapidis Calaminaris, Ceratum Saponis, aut Emplastrum Lithargyri: atque his uti licet etiam postquam ulcera facta sunt. Interdum cataplasmata injicere necessarium est. Ulcera sint, necne, Electricitas dicitur profuisse.

CAPUT LIII.

De Porrigine.

Porrigo, sive tinea, capitis morbus est, in quo inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt cum pruritu et capillorum defluxu. Idque evenit modo sine ulcere, modo exulcerato loco. Interdum quoque latius serpit, donec caput universum scabie fæda

contexerit. Affectus est contagiosus, et facillime manat inter pueros, qui pectinibus, aut pulvinaribus, aut capitis integumentis iisdem utuntur.

Prosunt Unguentum Hydrargyri nitrati, Unguentum Calcis Hydrargyri albæ, item aqua in qua Hydrargyrus muriatus dissolutus est, vel in qua Helleborus albus, aut Nicotiana decocta est, et fere quicquid acre est. Hæc porriginem incipientem interdum cito extinguunt. Sæpius in menses duos, aut amplius, permanet: in quo casu caput radendum est, et colluendum aqua in qua Sapo, vel Sal alkalinus liquatus est, deinde aliquo ex iis quæ supra proposita sunt inungendum, aut Unguento Picis: hæc admovenda sunt, donec omnes morbi reliquiæ excussæ fuerint, et frequens pilus subnascatur. Parum auxilii est in medicamentis intus datis.

turi de mitre descender a modo

CAPUT LIV.

De Struma.

STRUMA est, ubi glandulæ lymphaticæ tument, aut interdum inflammantur, et suppurant: quod cum aliis in locis, tum præcipue in cervice fit. In pueris quoque glandulæ mesentericæ eidem vitio sunt opportunæ, ex quo tumet venter, cæterum corpus macrescit.

Struma manifesta esse consuevit inter secundum et duodecimum annum; interdum serius. Tum illos præcipue invadit, qui parentibus strumosis nati sunt, et quibus corpus infirmum, color albus, nares atque labra tumida, palpebræque inflammationibus crebris obnoxiæ.

Alia, et gravior hujus morbi species fit in digitis atque artubus, quos tumefacit, et exulcerat, aut etiam prorsus exedit.

Contra strumam prodest in loca maritima transire, tum in mare descendere, modo æger non febricitet. Simul quibusdam salutare visum est aquæ marinæ bibere quantum alvum moveat tertio vel quarto quoque die diutius. Omnibus fere utilis est Cinchona, vel medicamenta quæ habent Cinchonam et Natron.

Potioni aptissima est aqua Malvernensis, vel distillata. Cibus ex tenui omnino materie esse debet, qui corpus reficiat, et morbum non exasperet.

CAPUT LV.

De Spina ventosa.

Ab strumam quoque pertinet ille morbus, qui spina ventosa appellatur; in quo genu diu tumet doletque, et tandem ossa ipsa corrumpuntur. His accedunt febris hectica et tabes.

Recentis morbi remedia eadem fere quæ strumæ sunt : præterea convenit ulcera prope articulum excitare, et servare diutius. Sæpe tamen crus abscindere necessarium est.

CAPUT LVI.

De Coxa Morbo.

Alius ejusdem generis morbus in coxa nascitur, ubi exoritur suppuratio, quæ totum articulum paulatim tabefacit. Genu in his dolet magis quam coxa; simul crus ejus lateris plerumque longius fit; extenuatur autem femur, et corpori sustinendo non est. Interea febre lenta, ac macie æger consumitur. Sunt qui triennium languent priusquam moriantur. Pauci admodum resurgunt, atque hi semper claudicant. Interdum effluxum puris mors prævertit: sæpius ulcus fit apertum, quod ægrum antea ruentem præcipitat.

Sic affectis opitulatur Cinchona, et simul

ulcera bina, aut plura, circa articulum facta. Vires omnibus modis conservandæ sunt; et si quid contra strumam aliquando profuerit, spes foret etiam ad hunc affectum id optimum remedium esse præstiturum.

CAPUT LVII.

De Spinæ curvatura.

Aliud vitium superioribus cognatum, licet qualibet ætate potest incidere, maxime tamen in pueris oritur. In hoc primæ partes vertebrarum exulceratione et dolore occupantur, quibus accedunt distentiones et imbecillitas artuum inferiorum; tum exesis ossibus spina curvatur, et vertebra una aut plures prominent.

Unicum remedium est ulcera alta utrinque excitare, et diu servare. Nemini vero nocebit aliquid Cinchonæ simul assumere. Ad hæc, quidam collo ægrum suspendunt, ut corpus rectius fiat, deformitasque minuatur.

CAPUT LVIII.

De Rachitide.

Sæculo decimo septimo Rachitis pervulgata fuisse videtur, cum in aliis Europæ partibus, tum præcipue in Anglia*. Quæ utcunque sint, nostris saltem temporibus is morbus multo rarior factus est. Pueros fere a primo ad tertium annum occupat. Cutis his laxatur, articuli et venter tument, ossa incurvantur, dentes exeduntur, et debilitas universa sequitur.

Contra hæc exercendum, alendumque corpus est; et fricatione, et rusticatione, et lavatione frigida, et Cinchona utendum.

^{*} Glisson de Rachitide.

CAPUT LIX.

De Spina bifida.

Spinam bifidam ostendit tumor mollis ex aliqua parte spinæ, maxime circa lumbos, ortus. Scilicet processus spinalis unius, aut plurium vertebrarum, vel omnino deest, vel finditur; et membrana, quæ continet medullam, humore intus collecto prominet. Postquam ea rupta est, sequitur inflammatio medullæ in spina, et cita mors. Qui hoc vitio laborant, quindecim menses raro superstites sunt.

Leni et assidua compressione facta humoremne resorberi posse credibile est? An licet per vulnusculum obliquum humorem educere *?

^{*} In Actis Societatis Regiæ Medicorum Parisiis (anno 1784, p. 66.) traditur historia juvenis octavum et vicesimum annum agentis, quem nascentem occupaverat hujusmodi tumor in lumbis. Duodecimo anno, cum magnæ jam molis esset, chirurgus eum perforavit, et

CAPUT LX.

De Labro leporino.

Nonnunquam labra finduntur, et manu curanda sunt. Tempus vero ad id eligendum est vel tam recens a natu ut nullus pæne cibus requiratur, vel tam longinquum ut manu puer commode nutriri possit. Itaque aut primo natali die, aut, quod tutius esse crediderim, non nisi post quatuor menses incidi debent. In quibusdam palatum simul afficitur, unde vox imperfecta fit, et potiones sæpe in nares transeunt.

omnem humorem eduxit: neque mors inde, sed ingens debilitas secuta est; et tumor brevi succrevit. Tandem vicesimo anno, cum ad magnitudinem capitis pervenisset, in illum forte cubuit, unde inflammatio et gangræna supervenerunt, et in summo vitæ periculo æger versabatur: tamen præter omnium spem, eo ipso tempore humor resorptus est, et firma cicatrix in collapsa cute facta. Ille vero, debilis licet, superfuit.


INDEX.

ALVUS Pag. 23	Perniones63
Alvus Fusa23	Porrigo
Quæ Alvum solvunt 5	Profluvium album40
Quæ Alvum comprimunt. 7	Profluvium Sanguinis e Na-
Angina46 x	ribus 39
Ani Procidentia25	Profluvium Sanguinis e Na-
Aphthæ13	turalibus39
Aures Exulceratæ62	Pustulæ60
Coxæ Morbus68	Rachitis70
Cuticula attrita63	Semianimes10
Cutis Durities27	Singultus
Dentes35	Spina bifida71
Distillatio 40	Spina ventosa67
Distentio Membrorum 34	Spinæ curvatura 69
Erysipelas Puerile17	Stomachi Morbi 16
Febris hectica 56	Strabones38
Febris intermittens 58	Struma
Febris puerilis55	Synanche trachealis 44
Febris rubra47	Tetanus 29
Hernia31	Tussis41
Hydrocele32	Tussis Convulsiva42
Hydrocephalus32	Valetudinis adversæ Signa. 9
Icterus12	Variolæ inoculatæ50
Inflatio	Variolæ pusillæ54
Labrum Leporinum72	Variolæ vaccinæ53
Lues Venerea 59	Victus 1
Lumbrici19	Vigilia19
Meconium11	Quæ Vomitum movent 4
Morbilli49	Vomitus
Nigrities10	Urinæ Difficultas 30
Oculorum Morbi36	Urinæ Incontinentia30

INDES

Arvus sot euvaA	
Alvus Fusa	
Quin Alvaria Charles and	
(San at	
Addition in the Addition of th	
Aphtha b. v 13	
Author Rygider and Co.	
80%来	
College State College	
The state of the s	
The state of the s	
Comments and a solution of the	
2 2 2 2 2 2	
107、4年,第二十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五十五	
The merchanism last instantis	
Loan and selection of the selection of t	
A Day L. L. L. Sobject Salls	
And the control solution of the	
A PROPERTY OF THE PARTY OF THE	
A PROPERTY OF THE PARTY OF THE	
And the second of the second o	
And the second of the second o	
And the second of the second o	
And the second of the second o	





Dremmy 6/84

